



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

3. In quo differat jus patronatus Ecclesiast. à laico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

§. III.

In quo differat jus patronatus Ecclesiasticum à laico.

1. Patronus Ecclesiasticus habet semestre; laicus quadrimestre.
2. Quod currit à die notitia vacationis.
3. Pena patroni, non presentantis aliquem intra dictum tempus.
4. Ecclesiasticus variare non potest, in presentando laicos potest.
5. Legatus summus Pont. beneficia juris patronatus Eccles. conferre potest laici non potest.

Præter discrimen, quod ex definitionibus colligitur, differunt in his. Primò, quòd patronus Ecclesiasticus habeat tempus semestre, id est, sex mensium ad presentandum; laicus quadrimestre dumtaxat, *e. Eamte 22. c. Cum propter 27. & alius h. tit. c. unico eod. in 6.* Quando autem simul sunt patroni Ecclesiastici & laici, omnes ratione communionis habent semestre, *Glof. in d. c. unico §. verum. Garz. 5. p. c. 9. n. 28. & duobus seqq.* nec intra hoc tempus potest intelligi negligentia patroni, *d. o. unico.* Et idè intra quadrimestre, concessum laico, collatio beneficii vacantis est nulla, siue facta sit ab Ordinario, vel ejus Vicario, *c. Quod autem 5. in fine hoc tit. siue à Papa, via ordinaria, d. c. unico:* ita ut nec patrono, nec ei, qui ex presentatione patroni institutionem obtinuit, præjudicet.

2. Currit verò hoc tempus, non à die, quo vacat beneficium, ut olim observatum fuit in *Rota, Rosa, Decis. 1. alias 38. in antiq.* sed hodie à die notitiæ, quia in nulla materia, quantum vis levi, tempus currit ignorantibus, *l. 1. Cod. qui admitti ad bon. poss. possunt, latè Riccius in Praxi Decis. 172.* notitiæ, inquam, non interpretativè, sed verè vel præsumptè determinandæ per judicem Ecclesiasticum, consideratà qualitate beneficii, modo vocationis, longitudine temporis, distantia locorum & fama: nec scientia unius patronorum nocet alteri, sed scienti tantum.

3. Quod si patronus intra tempus à die notitiæ sibi concessum non presentaverit aliquem, vel quia neglexerit, vel quia, si plures sint, inter eos sit lis de jure patronatus, statim, lapsò eo tempore, pro illa vice devolvitur collatio ad eum, ad quem spectat institutio, licet

is sit Episcopo inferior; ab exemptis verò ad Papam.

4. Secundo, Patronus Ecclesiasticus, si aliquem idoneum presentaverit, non potest intra idem tempus presentare alium: quod si fecerit, nihilominus præferetur prior tempore, tàmquam jure potior, *c. Cum autem 24. h. tit.* Et hinc fit, quòd ei potius dentur sex menses ad presentandum, quam laico, ut, cum in illo gravetur, in hoc relevetur. Nam laicus, presentato uno aut etiam pluribus, potest adhuc idem quadrimestre alium vel alios presentare, non quidem recedendo à prima presentatione sine causa *c. Pastorali 23. h. t.* sed accumulando posteriorem priori, *c. Quod autem 5. d. c. Cum autem 24. h. t.* & quidem toties, quoties voluerit, juxta *Glof. in Clement. Plures §. fin. in V. Presentare hoc tit.* Arque ex his Episcopus instituet, quem maxime idoneum judicabit, vel, si omnes idoneos judicet, quem voluerit, *d. c. Quod autem.*

5. Tertio, Legatus summi Pontificis beneficia juris patronatus Ecclesiastici conferre potest, absque consensu & presentatione patroni Ecclesiastici, non etiam beneficia juris patronatus laici, sine consensu patroni, *Garz. 5. p. cap. 1. n. 571.* Ratio diversitatis est, quia patronus Ecclesiasticus subest jurisdictioni Legati, non autem patronus laicus, *c. Cum dilectus 28. h. t.* Hinc etiam nequit conferre beneficia juris patronatus mixti, sine patronorum consensu, ne ex societate præjudicetur laico, eaque ratione laici avocentur à fundatione & donatione Ecclesiarum. Quæ ratio cum cesset in beneficiis juris patronatus Ecclesiastici, ex privilegio siue speciali siue generali, vel præscriptione aut consuetudine, idè Legatus illa conferre potest absque derogatione juris patronatus, etiam nulla ejus facta mentione, *Garz. d. c. 1. n. 573.*

§. IV.

Quomodo jus patronatus transferatur.

1. 2. *Transferatur venditione, etiam in emptorem rei singularis.*
3. *Donatione.*
4. *Permutatione.*
5. *Sucessione.*

Quatuor potissimum modis transferatur jus patronatus in tertium aliquem, videlicet